



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Paupertas liberalitatis socia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Eadem viâ homines duxit idem philosophus ad veram libertatem, cum scriberet: *Quidquid facere te potest bonum, secum est. Quid tibi opus est, ut sis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quam eripere te huic seruituti, qua omnes premit, quam mancipia quoz conditionis extrema, & in his sordibus nata, omni modo exuere conantur? peculium suum, quod comparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant: tu non concupisces quanticumque ad libertatem peruenire, qui te putas in illa natum?* Itaque multi, pecunias proiecerunt, vt emerent libertatem, immo vt pro ea felicitatem recuperarent. *Pheraulas*, inquit Xenophon, *ex paupere diues à Cyro factus, desiderio tandem pristina tranquillitatis & quietis affectus, & curarum ac molestiarum, quas sibi diuitias importasse querebatur, multitudine offensus, omnium bonorum suorum possessionem in Sacam transfert, hoc sibi tantum excipiens, ut ab eo tamquam hospes, atque etiam parcius minusq; eleganter, ac sumtuose, quam hospes alatur. Huic pares multos paulò post referemus, qui Codri, quam Cræsi esse maluerunt, & quemadmodum Euripides dixit, se malle ter sub clypeo consistere, quam parere semel, ter maluerunt mendicare, quam semel imperare, quia, vt Claudianus ait:*

Diuitur exiguo melius: natura beatâ

Omnibus esse dedit, si quis cognouerit uti.

Hanc ob causam Anacreon, accepto à Polycrate tyranno auri talento, reddidit dicens: *Odi donum, quod vigilare facit.* Ex hac paupertate etiam Corneliam Gracchorum matrem, Campana matrona ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostendente, pronuncians ditiozem Valerius Maximus hoc epiphonema adiecit: *Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eò quidem certius, quam qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bona mentis usurpatio nullum tristioris fortuna recipit incursum.* Itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere? cum & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & huius horridior aspectus solidis, & certis bonis abundet. Fuit eiusdem sententiz etiam Ptolemæus Lagi, qui sepe numero apud amicos & cœnabat, & dormiebat, teste Plutarcho. *At si quando cœnam ipse praberet, illorum utebatur rebus commodato accipiens pocula, lectos, mensas. Nam ipse plura non possidebat, quam*

D 2

qua

IV.

Idem ep. 80.

Xenophon
lib. 8. Cyris
ped.

V.

Valer. Max.
lib. 4. cap. 4.